9

LITHOGRAPHIÆ SVECANÆ

SPECIMEN SECUNDUM,

Telluris ſvecanæ petrifacta lapidesque figuratos varios exhibens,

Juxta ſeriem atque ordinem, quo in Muſeo Metallico BROMELIANO *ſervantur,*

In lucem editum

à

MAGNO VON BROMELL,

M. D.

SACR:UM MAJEST:UM SVECIÆ Archiatro,

Et

Reg. Colleg. Med. Stockh. Præſide.

ANNO M DCC XX VII.

UPSALIÆ.



SECTIO PRIMA.

DE

Vegetabilibus, Fosſilibus, & Lapidefactis.

Quemadmodum intra animalium corpora, calculi, variæque in præcedenti ſpecimine enumeratæ concretiones lapideæ generantur, ita eadem hæc animalia, illorumque partes variæ, haud minus ac vegetabilia, lapideam quandoque duritiem induere, & in lapides mutari poſſunt. Ejusmodi lapides *petrificatorum* nomine comuni apud Lithographos comprehendi ſolent, & adcurate diſtingui debent ab illis lapidibus, qui caſu, naturæ luſu, vel artificio quovis talem formam ac figuram acquiſiverunt, quâ vegetabilia, animalia, vel res naturales atque artificiales, referunt, cum quibus tamen, præter figuram externam, nihil commune habent. Petrificatorum horum numerus nuperis hiſce temporibus adeo apud exteras nationes adcrevit & adauctus eſt, ut iisdem recenſendis, dies vix ſufficeret. Verbo tantum monere debeo, quod ANGLIÆ figuratos lapides deſcripſerint Cl. *Plotius*, *Leigh*, *Robinſon*, *Liſter* & *Luidius*. ITALIÆ petrificata exhibuerunt *Columna, Steno*, *Montius* & *Scilla*. HELVETICA, *Geſnerus*, *Muraltus*, *Vagner*, *Scheuchzerus* & *Langius*. GERMANICA, & quidem in ſpecie SVEVICA, *Camerarius* & *Ehrhartus*. CANSTADENSIA, *Carl*, *Spleſſius* & *Reiſelius*. WüRTENBURGICA, *Bauhinus* & *Hiemer*. PALATINA, *Geyerus*, *Gerhardus*, *Verdries* & *Liebknecht*. HASSIACA, *Valentinus* & *Wolfart*. NORICA, *Bajerus*. WURCENBURGENSIA, *Beringer*. SILESIACA, *Swenkfelt*, *Volkmannus*, *Hermannus* & *Kundman*. SAXONICA, *Mylius*, *Linen*, *Schutteius* & *Roſinus*. QVERFURTENSIA, *Büttnerus*.

HILDESHEMENSIA, *Lachmund.* LUNEBURGICA, *Reiſkius.* LUBECENSIA, *à Melle.* PRUSSICA, *Hellving, Fiſcher & Wendius.* DANICA, *Schactius*, ut alios innumeros nunc taceam, qui de patria ſua optime meriti laudabili hoc ſtudii naturalis genere, famam atque ſempiternam gloriam ſibi comparaverunt. Apud Nos in hac mundi parte boreali, de petrificatis talibus, altum hactenus ſilentium fuit: præter perpauca enim illa, quæ de figuratis noſtris lapidibus *Olaus Magnus* in Hiſt. gent. ſeptentr. *Urbanus Hierne* in Manuduct. ad inveniend. metall. & miner. *Laur. Roberg*, in Diſſert. de Aſtaco fluviatili. *Jac. Ludenius* in Lithogeneſia Macro- & Microcoſmi. *J. F. Leopold* in Itinere ſuo Svecano, & nuperrime *Eman. Swedenborg* in quibusdam opuſculis, ſparſim floſculorum inſtar hinc inde inſeruerunt, neminem invenies, qui id negotii ſibi ſumſit, ut in ſpecie de iisdem ageret, vel indicem petrificatorum noſtrorum ederet in lucem. Cum autem ſeptentrionalis hæc regio naturæ hiſce deliciis, diluviique univerſalis reliquiis, haud minus, ac extera quævis Tellus transmarina, abundet, & ego plurimis jam annis petrificata noſtra inſigni numero ſedula manu ipſe conquiſiverim, vel per amicos mihi oblata comparaverim, me rem ingratam naturæ Myſtis haud facturum ſpero, ſi hæc eadem in Lithographiæ hocce Svecanæ ſpecimine ſecundo nunc enumeravero, & quidem tali ſerie ac ordine, quo inter ejusdem generis Foſſilia plurima exotica in ſcriniolo noſtro Lapidario ſervantur, diviſa ſcilicet in petrificata vegetabilia & animalia, quorum agmen tandem lapides naturæ luſu varie formati, claudent.

In anteceſſum autem, antequam pedem ulterius promoveamus, neceſſe videri poſſet, ut quædam de horum lapidum ortu, generatione ac origine præmitteremus; verum enim vero, cum hoc alibi abunde factum ſit, telamque hanc dudum ante me Viri pertexuerint Celeberrimi, illuſtris *Leibnitius*, *Woodward*, *Steno*, *Scheuchzer*, *Bajerus*,

Bajerus, *Büttner*, *Liebknecht*, *Swedenborg*, alique plurimi, argumentorum iterata repetitione Lectori benivolo molestus esse nolo. Sufficit, me, cum Viris hisce doctissimis, contra Cl. *Listerum*, *Luidium*, *Plotium*, *Camerarium*, cæterosque omnes, qui vel archæum quendam operantem, vel naturam ludentem, vel denique animantium ac vegetablium ovula seminalia circumvolitantia supponunt, credere & affirmare, quod pleraque, si non omnia, petrificata nostra, heic memoranda, sint ipsius diluvii universalis reliquiæ ac rudera, quæ jubente Salvatore nostro apud *Lucam Cap. 16. v 40.* sacrarum literarum veritatem testari possunt ac debent. Sententiam hanc alibi aliis ex telluris nostræ stratis, structura, ac contentis, petitis argumentis ulterius demonstrare conabor, ad ipsam petrificatorum historiam nunc festino, á Lithophytis sive vegetabilibus nostris Fossilibus initium facturus.

CAPUT PRIMUM.

De Lithophytis fossilibus Svecanis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Musco incrustato & in lapide depicto.

§. I.

Lithophytorum titulo generali omnia illa Fossilia comprehendimus, quæ vegetabilium & plantarum quascunque partes referunt. Horum paucissima adhucdum specimina in tellure nostra detecta sunt, non vitio quidem soli natalis, quod iisdem, quibus cæteræ regiones petrificatis abundare, persuasissimus sum; sed inquirentium negligentia, cum nemo id negotii sibi sumserit, ut sedulo in eadem inquireret. Perpaucæ igitur illæ Lithophytorum species, quæ hactenus ad manus nostras pervenerunt, trium præcipue generum sunt: Musci scilicet terrestris species nonnullæ; foliorum impressiones ac vestigia in lapide fissili vel calcario conspicua; & lignorum

frustula lapidea. Præter hæc, fructuum quidem officulis, seminibus, arborumque radicibus, ramulisque haud absimiles lapides sæpius heic vidimus, qui tamen propius lustrati, cum potius pro lapidibus naturæ lusu figuratis, quam veris petrificatis haberi debeant, eos omnes ad tertiam & ultimam speciminis hujus sectionem relegavimus. Ad vera autem Lithophyta pertinere videntur:

No. 1. *Lapis cinerei coloris fissilis fœtidus, Suillus dictus, in superficie ostendens Musci ramosi capillamenta nigra, subtilissimo quasi penicillo expressa. Inventus in arenariis parœciæ* Giärstad, *prope oppidum* Schenningam *in* Ostro gothia.

Per suillum sive fœtidum lapidem quid intelligamus, alibi; & quidem in specimine tertio, ubi de saxo calcario agendum, docebimus. Qui in hoc memorato lapide depictus cernitur muscus, generis est saxatilis, repentis, capillacei, non ipsam lapidis substantiam, quemadmodum in dendritis Florentinis & Germanicis nonnullis videre licet, penetrans, sed lapidis in extima superficie duntaxat subtilem figuram suam ostentans. Cl. *Scheuchzerus* in Misc. Curios. Germ. Dec. 3. an. 5. appendice dendritæ Oeningensis similem speciem memorat, quæ ferro vel lapidibus affricta cornu ustum redolet.

2. *Dendrites siliceus Scanicus, sive silex albicans musci capillacei vel fruticeti exsurgentis subtilem imaginem eleganter exhibens. Repertus in agro Lijdgothiano ad pagum* Kropp

Hic cum dendrita Sinaitico Ferr. Imperati Hist. Nat. Lib. 24. magnam affinitatem habet.

§. II.

3. *Muscus terrestris vulgaris, crusta tenui tofacea leviter inductus, repertus prope fontem quendam ad radicem montis* Mosseberg *dicti in* Westrogothia.

4. *Muscus terrestris vulgaris, cortice calcario candido obductus, & hinc inde in tofum mutatus.*

Perelegans hoc concretum tofaceum, in suprema sua parte integrum adhucdum & viridem muscum con-

tinens, inventum eſt in inſula *Gothlandia*, ad pagum *Nygården*, haut procul ab antiqua urbe *Wisby*, ubi ad maris litus ex colle quodam arenoſo aqua limpida continuo decurrens, muſcum, gramina, & quasvis alveo præcipiti obvias quisquilias, cortice tali calcario niveo obducit. Rariſſimum ſane exemplum, cum pauciſſimæ tales aquæ petrificantes hactenus in *Svecia* obſervatæ ſint. Meminit quidem *Albertus Magnus* Lib. 1. Mineral. Tract. 1. Cap. 7. celebris cujusdam in *Gothia* fontis, tanta petrificandi virtute inſtructi, ut objectas non tantum res quaslibet in lapideam ſubſtantiam transmutaverit, ſed cujus guttæ marginibus illius adſperſæ ſtatim in lapillos concreverint. De indole hujus fontis ut certior fieret *Fridericus* Imperator, juſſit chirothecam ſigillo munitam, mediatenus immergi, & quidem poſt dies aliquot partem merſam lapideam evaſiſſe, reliquam, ut erat, remanſiſſe pelliceam. Verum cum de hoc fonte Gothico hodie apud nos, neque in *Gothia*, neque *Gothlandia* aliquid, ne per famam quidem, certi habeatur, contingere potuit, ut idem ille collapſus & obſtructus, hiſce forſan temporibus perierit, vel vim ſuam petrificam perdiderit; quod aliis quoque ejusmodi ſcaturiginibus accidiſſe obſervatum eſt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De foliorum impreſſionibus & veſtigiis in variis lapidibus.

§. I.

PAria cum muſco fata ſubire coguntur arborum folia & ramenta, quando diu aquis calcariis immerſa jacent, ut tandem cruſta tofacea obducantur, quæ illorum figuram ac typum retinet, poſtquam ipſa folia aut ramenta intus corruptione jam perierunt. Hujus generis ſunt:

No. 1. *Ceraſi foliorum veſtigia tofo candido calcario impreſſa.*

Orig-

Originem suam hic lapis debere videtur cæmento, quo quondam extructum fuit pantheon Lundense in *Scania*. Ad hujus enim rudera, teste amicissimo & celeberrimo M. D. *Stobæo*, cui eundem debeo, satis frequens occurrit.

2. *Roris marini sylvestris, nostratibus* porss *dicti, foliola tenuia, nigricantia, expressa in lapide calcario cinereo, invento in arenariis memoratis Ostrogothicis, prope oppidum* Schenningam.

3. *Variarum plantarum foliaceæ impressiones & vestigia in lapide fissili nigro: ex monte* Dalaberg *in* Westrogothiæ *parœcia* Dahla.

Genuina horum foliorum nomina exprimere nunc nequeo; quamvis etenim nonnulla pinnulis suis filicem; alia angustia & longitudine graminis speciem, quædam acumine ac tenuitate salicem, alia ericam, & nymphæam minimam, referre videantur, determinare tamen, quo præcise pertineant, non audeo, donec ab provinciæ illius, nunc autem Nericiensis, Medico experientissimo & deliciarum harum cultore indefesso D. D. *Hesselio* plura & elegantiora lapidis hujus plantigeri specimina accepero.

Articulus Tertius.

De Lithoxylis.

§. I.

Lithophytorum agmen tandem claudent lithoxyla sive in lapides mutata ligna varia. Notissimum hocce apud exteros petrificati genus, heic apud nos non nisi rarissime occurrit; quamvis enim titulo illo, ligniquè petrificati nomine, lapides plurimi, insignis interdum molis ac magnitudinis sæpissime oblati sint, figura sua externa ac superficie ligna arborumque truncos apprime referentes, adcuratius tamen lustrati iidem cum ligno, præter figuram externam, nihil commune habuerunt, verum

verum vel lapidis cujusdam corallini porosi species fuerunt, vel asbesti fossilis genus quoddam fibrosum, argentifodinis nostratibus valde familiare, vel demum saxum commune, ab injuriis externis adeo exesum & mutatum, ut lignum, arborisque truncum facie sua externa haud inepte finxerit. Ad vera tamen lithoxyla accedere videntur:


I. Dryites sive ligni quercini coagulum lapideum, inventum inter urbem Upsaliam, *& officinam ferrariam Wattbolmensem in* Uplandia.



Eximium hocce concretum lapideum, in quo adhucdum ſubſtantia ligni putrida lapidi hinc inde interſperſa ſuperſtes cernitur, inter rariora ſua ſervaverat olim Celeberrimus Profeſſor Upſalenſis *Joan Schefferus*, una cum ſequenti relatione: *Dryitem hunc prope Upſaliam, ad molam quandam farinariam, haud procul ab officina ferraria Wattholmenſi diſſitam, inventum, Celeberrimo Profeſſori* Olao Rudbeckio *debeo, qui ſimul retulit ſe in eodem loco inveniſſe caudicem quercinum, cujus maxima pars in lapidem mutata erat, reliqua ſuperſtite adhucdum integra & immuni.* Transmutationis hujus veritatem ut perciperem, ipſumque truncum ſaxeum ut invenirem, ego, illo tempore, quo *Upſaliæ* Medici provincialis, & adjuncti munere functus ſum, ſedulam navavi operam, omnemque circa hanc officinam Wattholmenſem lapidem movi & examinavi, ſed fruſtra & ſemper ſine ſucceſſu. Tranſmiſit quidem eodem illo tempore *Upſaliam* amicus quidam mei deſiderii memor, ingentem truncum lapideum e prato quodam prope memoratam officinam ferrariam, erutum & a plebe ibidem quercus petrificatæ titulo donatum, qui ſuperficie ſua corticali, ſubſtantiaque fibroſa ac ſtriata, ſtipitem ligneum primo intuitu haud inepte mentiebatur. Sed adcuratius examinatus, a noſtro recenſito concreto, omnique ligno quercino plane differebat; nec aliud erat niſi ſaxum commune ab aëris ac pluviæ injuriis ita exeſum & mutatum, ut ſtipitis quercini ſpeciem nunc præ ſe ferret. Ejusdem generis atque originis fuiſſe etiam crediderim ſolidum illum, durum, admodumque gravem truncum ſaxeum, cujus meminit *Jac. Monthelius* in diſſertatione ſua de aquis mineralibus p. 64, quemque trunci quercini Uplandici in lapidem mutati titulo, publice *Upſaliæ* monſtravit.

II. A Dryi-

II. A dryite, gravitate sua, figura, totaque facie differt aliud pro ligno petrificato exhibitum, & heic ad latus depictum frustulum, quod ex aquis vitriolicis cuprifodinæ Fahlunensi in Dalekarlia, *extractum est.*



Ad quodnam ligni genus frustulum hocce præcise pertineat, definire nequeo, cum tubulosa ac cavernosa sua substantia, ossis particulam potius, quam lignum referat. Quod autem hæ aquæ Fahlunenses, insignem indurandi vim obtineant, testantur non tantum varii ibidem in fodinis superstites stipites omni lapide duriores, verum etiam humani corporis partes diversæ inde extractæ, integræ adhucdum & a corruptione conservatæ; de quibus inferius in sequenti sectione latius agemus.

§. II.

Præter memorata hæcce lithoxyla, Cl. *Volkmannus* in Silesiæ subterran. part. prior. Cap. IV. §. 9. ex *Wormii* museo alia bina lithoxyli Svecani genera recenset, unum admodum grave, candidum, micæ instar splendens, & marcasita gravidum, repertum prope *portum Caroli (Carlshafwen)* in Scania. Alterum nigrum, ponderosum, totumque in marcasitam mutatum, in *Finlandia* ad oppidum *Helsingfors* effossum. Verum enim vero cum nihil tal, hactenus, quod sciam, ab ullo ibidem visum fuerit, nen ipse *Wormius*, qui in majorem fidem citatus, eorundem

in illa musei editione, quam possideo, mentionem fecerit, nos illa mittimus, persvasissimi, quod, si eadem in locis memoratis inveniantur, nihil aliud sint nisi marcasitæ figuratæ species, ligni faciem ac figuram præ se ferentes. Ad veri lithoxyli genium & indolem propius accedere videtur, lignum faginum lapideum, quod possideo, elegantissimum, exoticum quidem & peregrinum, ut puto, sed pro indigeno & septentrionali, a Viro rerum naturalium amantissimo venditatum. Lapis est, uti in *Tab. fig. 1.* videri potest, septem digitorum longitudinem & trium latitudinem capiens, ex cinereo albicans, assulatim coagmentatus, ita ut distincte quatuordecim ad minimum numerari possint lamellæ, partim integræ, partim mutilatæ, inter quas excurrentes hinc inde fibræ, pectines, lineæ, ductusque lignei non modo exacte discernuntur, verum etiam ipse nodus, sive protuberantis ramuli vestigium adeo manifeste ab utroque latere conspicitur, ut nisi manibus tangas, ac pondus duritiemque explores, adhucdum lignum faginum esse jurares. Elegans hæc phegitæ exoticæ species, aliud longe elegantius, peregrinum quoque, sed inter omnia quæ unquam vidi pulcherrimum & pretiosissimum lithoxylon in memoriam revocat. In museo scilicet splendidissimo Illustrissimi Comitis, Senatoris Regni, aulæque supremi Mareschalli, Dn. *Nicodemi Tessin* hic *Stockholmiæ*, stipes cernitur insignis magnitudinis, non in saxum commune, uti proxime memorata ligna, sed in gemmam pretiosissimam, achatem nimirum totus commutatus; in quo externus cortex, medulla intermedia, fibræ lignosæ, circuli concentrici, cæteraque trunci arborei vestigia usque adeo adcuratè distinguuntur, ut de ejusdem vera transmutatione nemo facile dubitare possit. Thesaureoli hujus rarissimi effigiem & descriptionem adcuratam promisit Comes benignissimus, quam omnes mecum historiæ naturalis cultores summo desiderio expetunt & expectant.

§. III.

§. III.

Occasione naturalis hujus mutationis lignorum in lapides, non possum, quin verbo simul referam infelicem successum quorundam experimentorum varia corpora lignosa artificiose indurandi. Arcani hujus auctor est *Johannes Kentmannus*, vir alias candidus, qui in Nomenclat. Rer. Fossil. Misn. p. 39. artificium hocce sequentibus verbis proponit: *Ex alno*, ait, *ut fiat lapis artificiose imponi debet lignum, quantæ velis magnitudinis, in labra illa ampla ænea, in quibus lupulus coquitur, ad faciendam cerevisiam; cumque percoctus abunde lupulus est, eximitur idem lignum & arena vel glarea in ipsis cellariis obruitur per triennium, inde cum extractum fuerit, duratum in lapidem apparet, e quo potissimum cotes fiunt, quibus ad ferramenta acuenda mensarii utuntur.* Alterum experimentum *Nic. de Blegni* Gallus in Zodiaco Med. Gall. an. 2. mens. Sept. obs. 2. sequentibus verbis exhibet: *ut in lapidem convertatur quodcunque genus corporum siccorum, & poris præditorum, accipe salis gemmei, aluminis rupei pulverisatorum, pulveris silicum non ustorum, calcis exstinctæ, aceti albi ana partes æquales, commisceantur cuncta. Ubi fermentatio inceperit, adde corpus, cui lapidis formam inducere animus est, sive sint ossa humana, sive lignum admodum aridum & porosum, sive os sepiæ, aut quodpiam simile, a materiis prædictis, mediante fermentatione penetrabitur. Hæc simul in unum corpus coalitura sunt, adeo ut duritiem & soliditatem, intra quatriduum, aut ad summum sex dierum spatium sibi, comparatura sint.* Tertium tandem indurandi modum tradit fide dignissimus *Boyleus* in exercit 1:da de utilit. & præstant. philos. Nat. §. 4. hisce verbis: *Mihi nunc incidit, quod aliquoties lapideæ maxime corpus duritiei, intra semihorii spatium imo citius in ipso aquæ medio produxerim. Nucis myristicæ scilicet quantitatem bene & recente calcinato ala-*

bastro junctam, panniculo illigatam, & in pelvis aqua reple- tæ fundum injectam, statim in lapideam concretionem mutari vidi. De effectu horum experimentorum certior ut fierem, singula, qua potui circumspectione, institui, & quidem Kentmannianum, quod diutinum tempus postulat, bis, Blegnianum ter, & Boyleanum sæpius, sed semper sine successu. Ita ut arcana hæc vel figmentis, vel experimentis rarissime, si unquam, succedentibus annumerare debeam, haud ignarus verum petrificationis modum longe alia methodo tentari debere, uti expertus sum, & alio loco, Deo volente ostendam.

CAPUT SECUNDUM.

DE
Vegetabilibus marinis lapideis ex terra effossis.

ARTICULUS PRIMUS,
De Coralliis fossilibus.

§. I.

Lithophytorum inopiam compensabit spero corallinorum nostrorum lapidum insignis numerus, quorum tanta copia, tantaque varietas apud nos occurrit, quantam vix aliis regionibus suppetere scimus. Vegetabilium autem marinorum fossilium titulo intelligimus non tantum corallia quævis fossilia, verum etiam omnes cujuscunque generis marinorum æmulos corallinos lapides, qui ex tellure effodiuntur; cujus generis sunt: madrepora, porus, retepora, alcionium, tubularia, lithostrotion, fungites, astroites, columellus, porpites, glomellaria, branchiale, astropodion, cæteraque a Cl. Lithographis Anglicanis *Plotio* & *Luidio* inventa nova nomina, quæ singula tamen ad sequentes tres calsses facile reduci possunt.

Nos

Nos à coralliis noſtris foſſilibus incipiemus, quorum ingentem copiam ſuppeditat maris balthici inſula celebratiſſima *Gothlandia*, cum adjacentibus litoribus, quamvis hoc idem mare veri corallii marini ſpecimna non niſi rariſſime exhibuerit.

1. *Planta marina corallina à* Ferrando Imperato *Sertulariæ vocata, candida & folioſa, corallii albi ſqvammei ramo adnata, reperta in Oceani litore prope oppidum* Strömſtad.

   Planta hæc corallina ab *Imperato* in Hiſt. nat. Lib. 27. Cap. 12. depicta, ex meris foliolis ſemicircularibus candidis conſtat, quæ in vertice, minutiſſimo petiolo ſibi invicem adhærentia, continuatum frondium absque trunco coſtulisque, filum efficiunt.

2. *Madreporæ ſive corallii foſſilis punctulati ramulus lapidi calcario nigricanti inhærens. Ex monte* Billingen *dicto, in* Weſtrogothiæ *territorio* wallehærad.



3. *Madreporæ foſſilis varii ramuli ſimplices & ramoſi, reperti in inſula* Oelandia. Hæc madreporæ ſpecies cum inferius deſcribendis coralliis Gothlandicis punctulatis magnam affinitatem habet.

4. *Pori, madreporæ ac corallii marina fragmenta exigua, collecta in arena litorali lacus Lomenſis in* Scania.

5. *Coralliorum foſſilium ramuſculi tenuiſſimi ſilicei, topho candido, nec non ſilici nigro adnati. Ex ora maritima ejusdem lacus Lomenſis.*

6. *Coralli-*

6. *Coralliorum fossilium ramuli majores silicei & semidiaphani reperti intra sabulum ejusdem lacus.*

7. *Madreporæ ramuli calcario lapidi incano immersi. Ex agris monasterii Sancti* Ovidii *in* Scaniæ *territorio Fersiano.*

8. *Ejusdem madreporæ fossilis ramuli teretes, in nodos aut genicula virgularum instar distincti, cortice scabro & verrucoso circumdati. Ex ejusdem cœnobii agris in territorio Fersiano.*

9. *Lapis calcarius grisei coloris multis trochitis atque coralliorum ramulis minoribus gravidus. Ex insula maris balthici Gothlandia*, unde lauta quæ sequitur coralliorum fossilium supellex hausta est.

10. *Lapis calcarius albicans, in superficie insignem tenuissimorum coralliorum stragem exhibens. Ex ejusdem insulæ litore marino.*



11. *Coralliorum exilium coagulum lapideum, eo, quo in figura addita cernitur, modo, eleganter coalitum. Ex eadem insula.*

12. *Lapis calcarius fuscus, cujus superficiem madreporæ majoris ramulus, lambricum repentem repræsentans nitide exornat. Ibidem.*

13. *Coralli*

13. *Corallii fossilis subalbidi ac lævis, ramuli tenues geniculati ac ramosi. Ex insulæ Carolinæ montibus calcariis in* Gothlandia.




14. *Madreporæ sive coralii fossilis punctulati ramuli diversæ magnitudinis ac crassitiei, à digiti minimi ad pollicis latitudinem ascendentes. Ex eadem insula Carolina.*

Tenuioris ramuli imaginem figura addita sistit.



15. *Madrepora fossilis major bifurcata, sive corallium cinerei coloris fossile ramosum, porulis stelliformibus pervium. Ex iisdem insulæ Carolinæ montibus calcariis.*



Magnitudinem & iconem hujus ramuli figura addita exhibet, præter quem alium ejusdem generis ramulum, sed elegantiorem possideo, cujus in porosam & stel-

 latam

latam ſuperficiem, ſi oculos armatos adcuratius intendamus, dici non poteſt, quanta ſe offerat elegantia.

16. *Madrepora placentiformis foſſilis, compreſſa ac tenuis, lapidi calcario adnata, reperta in inſulæ* Gothlandiæ *litore.*

17. *Madreporæ foſſilis ramoſæ varii ramuli tenues, valdeque compreſſi ac complanati. Ex eadem inſula.*

Quod coralliorum horum foſſilium materia, ſeu ſubſtantia, primo ab initio mollis fuerit ac fluida, inſignis hæc eorundem tenuitas & figura placentiformis, qua â coralliorum rotunditate naturali quam maxime abſcedunt, haud obſcure indicare videtur. Hypotheſin hanc aliis inferius recenſendis ſpeciminibus ulterius probabo.

§. II.

18. *Pori foſſilis ſubtiliſſime punctati varia ſpecimina ſphærica & tuberoſa, reperta in agris cœnobii St.* Ovidii *in territorio Ferſiano &* Scania.

Cum madrepora, ſpecie quidem & foraminulorum crebritate convenit porus, ſed ab eadem, omnique coralliorum genere, differt tuberoſitate; quippe qui non in ramos & genicula, quemadmodum corallia dividitur, ſed in grumos & tubercula protuberare ſolet.

19. *Porus tuberoſus fungiformis, ſphæroides, multis rotundis foraminibus pervius, carioſam & a vermibus exeſam rapam apprime referens. Ex* Scania.

Rapiformis hicce lapis, in cella Viri cujusdam reverendi inter alias rapas in arena per hiemem ſervatas, inventus, colore, magnitudine, ſuperficie rugoſa, foliorum veſtigio circulari, totaque ſua facie tam pulchre imitatus, ut quemvis facile fallere poſſet; adcuratius tamen luſtratus & ad rationis lancem examinatus, genium ſuum prodit, ad porum tuberoſum multis foraminulis dotatum referendus.

20. *Pori*

20. *Pori majoris, tuberosi, ac inæqualis varia ſpecimina, frondiporæ ad inſtar cribriformia. Ex inſula* Gothlandia.

21. *Porus inſignis magnitudinis globoſus, cujus baſis integra & lævis, ſuperficies autem multis foraminibus majoribus notata. Ex eadem inſula.*

22. *Porus minor foſſilis globoſus cribriformis, foraminulis quaſi acu factis plenus, cui a latere pectunculites elegans adnaſcitur. Ex ejusdem inſulæ montibus calcariis.*

23. *Pori foſſiles ovales magni, cribriformes, quorum capitulum, ſeu pars ſuperior punctulis majoribus impreſſis, veluti totidem ſtigmatibus, per totam ſuperficiem notatur; inferior autem umbilici inſtar in annulos inæquales ſtalacticos protuberat. Ex eadem inſula* Gothlandia.

Hæc pori ſingularis quædam ſpecies eſt, digna ſane quæ icone exprimeretur.



24. *Porus tuberiformis, figura ſua ac magnitudine tubera terreſtria referens. Ex* Gothlandia.

25. *Porus foſſilis Gothlandicus ſtellatus verrucoſus, facie ſua externa radicem carioſam apprime exprimens.*

26. *Porus foſſilis pileiformis ſtellatus Gothlandicus, in aſpera ſua & verrucoſa ſuperficie porulos rariores ſtelliformes diſtincte exhibens, ac proinde aſtroites à nonnullis vocatus.*

Verbo hic monere debeo, quod aſtroitæ ſeu ſtellaris lapidis nomen, Lithographis adeo familiare, val-

de ambiguum ſit, & diverſiſſimi generis lapidibus ſine diſtinctione imponi ſoleat. Aſtroitæ enim nomen primo illis ſilicibus & fiſſilibus lapillis tribuitur, qui in ſuperficie ſtellulares icones umbratiles depictas gerunt, & ad naturæ luſus referri debent. Deinde etiam eodem nomine ſuperbit entrocho columnari ſimilis quædam ſpecies aſteriæ, quæ ad animale regnum pertinet, & pro ſtellæ cujusdam marinæ radio, pede ſive oſſiculo haberi debet. Aſtroitæ nomine porro comprehenduntur marinæ illæ & tubuloſæ aliquando undatæque productiones coralloides, quæ ex oceano Indico muſeis Europæis inferuntur. Eodem præterea nomine veniunt fungitarum minimorum coagula quædam lapidea, capitulis ſuis ſphæricis ac radiatis, ſtellulas exiguas referentia. Aſtroites tandem appellatur etjam madreporæ vel pori illa ſpecies, cujus ſuperficies foraminulis ſtelliformibus exornatur. Qui hic memoratur porus ſtellatus, ſeu aſtroites foſſilis, ex ultimo hoc genere eſt, in ima & adverſa parte umbilicatus. Præter quem alius ejusdem generis aſtroites Gothlandicus adeſt, cujus ſtellulæ longe ſubtiliores & in ſuperficie depictæ quaſi apparent; magnam ſimilitudinem habens cum *Scheuchzeri* aſtroite illo Helvetico minoribus ſtellis, quem in ſpecim. Lithogr. Helvet. fig. 52. & 53. depictum exhibuit. Reliquæ aſtroitarum ſpecies inferius in ſpecimine hocce recenſebuntur.

27. *Retepora ſive eſchara marina Imperati lapidea Gothlandica.*

Hoc



Hoc titulo ac nomine appellare licet tenuem hanc lamellam lapideam reticulatam, subtilissimis punctulis impressis, veluti totidem stigmatibus per totam superficiem notatam, quæ figura quam proxime ad illam reteporæ Helveticæ speciem accedit, quā *Scheuchzerus* in Lithog. Helvet. fig. 16, depictam sistit.

28. *Reteporæ alia species, telam subtilem textura sua quodammodo referens, lapidem calcarium candidum corticis reticulati instar involvens. Ex eadem insula* Gothlandia.


Articulus Secundus

De Lapidibus Corallinis.

§. I.

Coralliis succedunt lapides corallini fossiles, à coralliis distincti, quod loco pororum, tubulos exiguos habeant, nec nisi rarissime divaricentur, & in ramos dividantur. Huc pertinet

1. *Tubularia fossilis candida, ex tubulis brevioribus angustis teretibus constans, & tribus ordinibus fistulosis distincta.*



Juxta Botanicorum principem *Tournefortium*, cujus tanquam ſvaviſſimi quondam præceptoris veſtigia, in coralliorum diſtinctione lubens ſequor, Tubularia vocatur plantæ marinæ quoddam genus fere lapideum rubrum, coralliis affine, ſed ex innumeris tubulis conſtans, organi muſici æmulum. Cum quo exotico vegetabili marina hæc noſtra tubularia foſſilis Gothlandica ſatis adcurate convenit, niſi quod color ejusdem candidus ſit, & tubuli, ex quibus tota componitur, breviores videantur, ſtrato tenui lapideo hinc inde interſecti, quemadmodum ex adpoſita imagine patet. Pro patria agnoſcit hæc eadem inſulam Gothlandicam, ad cujus litora reperta eſt.

2. *Tubulariæ foſſilis candidæ Gothlandicæ alia ſpecies manu artificioſa in cubum formata & polita, ut cellulæ interiores, totaque lapidis ſubſtantia tubuloſa atque cavernoſa oculis melius pateat.*


3. *Tubularia foſſilis albicans calcaria, ex tubulis exiguis innumeris concreta, lignum faginum petrificatum utcunque referens. Ex agris ad cœnobium St.* Ovidii *in* Scaniæ *territorio Ferſiano.*

Spon-

Spongiosa atque tubularis lapidis hujus structura interior, diffracto eodem facile dignoscitur. Verum cum exterius saxo calcario hinc inde conspurcetur, tubulorum series non adeo aperte distinguitur, uti in proxime memorata Tubularia Gothlandica.

§. II.

4. *Tubularia fossilis fistulosa candida undata, & catenulata.*




Ad tubulariæ species eodem jure refero speciosissimum hunc & elegantissimum litoris Gothlandici fœtum corallinum, cujus effigiem sed minus distinctam, & adcuratam figura hæc exhibet. Substantiam lapidis hujus si consideremus, duplex hæc est, corticalis scilicet, quæ tota lamellata, fistulosa, cinerea, ubique ductu gyrato ac erratico sese circumvolvens: & medullaris, quæ candidior, calcaria, omnes tubulos & inter eosdem relicta interstitia arcte adimplens. Ad structuram autem ipsius lapidis

lapidis quod attinet, hæc singularis est. Ex longis etenim teretibus, albis & rectilineis tubulis totus componitur, qui articulata serie arctissime coëuntes, lamellas tenues constituunt, ductu tortuoso ac gyrato mire convolutas, tandemque in superficiem anfractuosam ac catenulatam desinentes. Unde lapis hicce apud nonnullos astroitæ tubularis faviginosi, vel fungitæ undulati reticularis nomen contraxit. Propius eundem accedere crediderim ad illud coralliorum genus, quod maxime reverendus & à me ob honorificam nominis mei mentionem, piumque simul additum votum, in *Lithographia* sua *Angerburgica*, nunquam sine veneratione nominandus, celeberrimus *G. A. HELWING*, in laudatissimi operis *part. 1. Cap. 6. sect. 4. N:o 15.* titulo Corallii dendrici catenulati descripsit, & ibidem *Tab. V. fig. 1.* depictum dedit, nisi quod hoc nostrum specimen Gothlandicum, magnitudine, elegantia ac nitore illud Angerburgicum longe antecellat.

5. *Ejusdem tubulariæ Gothlandicæ fossilis ac catenulatæ aliud elegantius specimen, in quo lamellarum tortuosi anfractus latius explicantur, & tubulorum catenula corallina sive rete articulatum mirabile distinctius extenditur, artificio adeo miro ac singulari, ut icone melius quam verbis exprimi possit. vid. Tab. fig. 2.*

6. *Ejusdem tubulariæ fossilis catenulatæ Gothlandicæ aliud specimen, memoratis durius & quasi siliceum, cujus reticularis & catenulata superficies à fluctibus marinis adeo exesa & detersa est, ut elegantiam suam naturalem plane perdiderit,*

quem-



quemadmodum ex appoſita effigie liquet, in qua tamen fungitæ minoris, e latere lapidis hujus exſurgentis, veſtigium *(a)* non bene exprimitur.

7. *Ejusdem tubulariæ Gothlandicæ foſſilis alia ſpecies tenuis, utrinque plana, reticulata atque catenulata, cujus tubuloſa & ab aquarum fluctibus deterſa ſuperficies, catenulam corallinam tam affabre ab utroque latere oſtendit, ac ſi aurifabri manu fabricata, vel opus Phrygium eſſet, figura ſua reticulari mirabile vaſorum lymphaticorum rete haud inepte repræſentans*




Figura ſua externa reticulari convenire videtur hic lapis, cum illis corallinis lapidibus, quos proxime laudatus Cl. *Helwing l. c. N. 23. & 40. in Tab. V. fig. 6. & Tab. VI. fig. 1.* exhibuit; neque multum ab illis lapidibus differt, quos *Buttnerus* in *Coralliographia ſubterran. Tab. 1. fig. II.* & *Volkmannus* in *Sileſ. ſubt. part. 1. cap. IV. §. 46. Tab. XVIII. fig. 7. & Tab. XX. fig. 3.* depictos, nomine Corallii laterulati deſcripſerunt.

8. *Ejusdem tubulariæ Gothlandicæ foſſilis alia ſpecies, tubulari ſua & cavernoſa ſtructura apum cellulas ſeu favos apprime exprimens.*

Cum aſtroite pyxidato & faviginoſo Anglicano à *Luidio* in *Ichnogr. Lithophyl. Brit. Claſſ. 2. N. 167.* memorato an idem ſit hic lapis, definire non audeo. Majorem ſimilitudinem habere videtur, cum illa aſtroitæ ſpecie, quam favi apum mellisque ſylveſtris petrificati Livonici titulo depinxit *Mylius* in *Saxon. ſubterran. part. II. relat.*

relat. 3. p. 31. fig. 2. & 3.] Quæ ad tubularias, uti hæc noſtra, referenda.

9. *Tubularia foſſilis catenulata ſilicea Scanica, Gothlandicæ ſuperius ſub numero 6. memoratæ, ſimilis, ſed ab aquarum fluctibus admodum exeſa & deformata.*

Tubulariam hanc, una cum præcipuis petrificatis meis Scanicis, debeo benevolentiæ Celeberrimi, & in hac ſtudii naturalis parte verſatiſſimi D:ni Profeſſoris *Kiliani Stobæi*, cujus proinde brevem ſed elegantem de hoc lapide relationem ſimul hic adducam: *porus hicce*, ait, *tubularis litoris Lomenſis in* Scania *alumnus, e tubulis albis rectilineis compoſitus, interjecta hinc inde materia lapidea nigra, jucunde repræſentat organum parvum muſicum, & figuræ, quam* Joh. Bauhinus Hiſt. plant. T. 3. p. 796. *nomine tubulariæ exhibet, ſimilis eſt. Subſtantia lapidis ſilicea exiſtit & nigra, canales autem in eodem conſpicui, tubuloſi, atque materia cretacea alba infarcti, quorum extrema in baſi, ductus catenatos & anfractuoſos efficiunt.* Quæ omnia quoniam exacte conveniunt cum deſcriptione tubulariæ Gothlandicæ ſuperius tradita, nihil quod addam, habeo.

§. III.

10. *Lapis coralloides, albicans ſinuoſus & vermiculatus, in ſuperficie ſua exhibens corpus teres tubuloſum, transverſim ubique rugatum ſive annulatum, multis gyris ac anfractibus, Lumbrici terreſtris ad inſtar varie inflexum.*

Novum hocce in litore Gothlandiæ repertum lapidis corallini genus, lumbricum petrificatum haud inepte referens, quo referam, ignoro, perſuaſiſſimus tamen, quod idem verus lumbricus nunquam fuerit, ſed vel tubulariæ cujusdam, vel corallii ſinuoſi ac undulati ſpecies nondum deſcripta.

11. *Lapis calcarius coralloides radiatus Gothlandicus, cujus ſuperficies, denſas elevatas & a centro ad peripheriam excurrentes lineolas tales radiatas exhibet, quales figura hac addita exprimit.*



Hic aqua iterum hæret, neſcius ad quam corallinorum lapidum ſpeciem, concretum hocce lapideum referre debeam. Quod ſi ad fingenda nova nomina facilis eſſem, & luſus naturæ a veris petrificatis adcurate adeo diſtinguere nollem, crediderim me in hoc lapide videre vel ſolis quendam florem Indicum, petala ſua pandentem, vel fungitæ majoris capitulum inverſum radiatum, & ſuper lapidem diffuſum. Nunc Davum me fateri malo quam Oedipum.



12. *Ejusdem generis alius lapis corallinus Rizoides, bryoniæ vel alius vegetabilis radicem repræſentans, cujus concava pars radiata atque ſulcata, circularibus annulis diſtinguitur; convexa autem multis foraminulis notata, & quaſi eroſa cernitur.*

Vide figuram a latere, in qua lapidis hujus convexa pars exhibetur. *Gothlandiam* pro patria quoque agnoſcit hic lapis, ubi ejusdem generis plurimi reperiuntur, non niſi magnitudine & pororum crebritate in ſuperficie externa differentes.

ARTICULUS TERTIUS,
De Fungitis.

§. I.

NEc copia nec varietate generi corallino cedunt Fungitæ noſtri foſſiles. Fungitæ autem foſſilis nomine non fungos terreſtres petrificatos hic intelligimus, ſed lapides fungiformes, in Oceani fundo quemadmodum

admodum corallia, pori, tubulariæ, reliquaque vegetabilium marinorum ſupellex, proprio ſuo modo provenientes, & fungos terreſtres quodammodo figura ſua imitantes. Hujus generis ſunt

1. *Fungites cinerei coloris, cujus ſtriatum capitulum nitide ſuper lapidem calcarium fuſcum expanditur & explicatur. In fodina aluminaria Andrarumenſi in Scania inventus.*
2. *Fungitarum veſtigia in lapide calcario incano conſpicua. Ex agris prope Cœnobium St. Ovidii in Scaniæ Territorio Ferſiano.*
3. *Columellus, ſeu fungites minor lapidi calcario griſeo immerſus. Ex eodem in Scania loco.*
4. *Fungitæ minimi cum capitulis ſtriatis, collecti in litore lacus Lomenſis in Scania.*
5. *Fungitæ foſſiles majores rotundi, quorum capitula diffuſa intusque profunde ſtriata, pediculi autem admodum breves ſunt. Ex inſula Oelandia.* Hi cum ſequentibus fungitis Gohtlandicis magnam affinitatem habent.
6. *Fungitæ varii diverſæ magnitudinis, quorum anguſtum, intusque profunde ſtriatum capitulum deſinit in petiolum longum, acutum, plus minusve incurvatum: reperti in inſulæ Gothlandiæ montibus calcariis, ubi maxima in copia eruuntur, & ob ſimilitudinem, quam cum cornu arietino habent, (petrificerade Gums-horn)* cornua arietis lapidefacta *audiunt.*


Horum fungitarum primam, quod ſciam, mentionem fecit Cl. *Olaus Wormius* in Muſei ſui Lib. 1. Sect. 2. Cap. 12. verbis ſequentibus: *Fungites, ait, ſeu Fungos imitantes lapides ex Gothlandia habeo, ſubſtantia lapidem Judaicum ferme æmulantur: quibusdam in locis maſſa cretacea & calcarea iisdem adhæret. Convexa parte ſtriæ à centro ad circumferentiam excurrunt minus profundæ, ſed concava profundiores, & in modiolum terminantur rotundum, in diame-*

in diametro vix digiti latitudinem habentem, colore ex albo in coeruleum tendunt, verum pediculos non habent. (tales ſcilicet, quales in fungis terreſtribus obſervantur, & quibus capitula rotunda inſident). *Ex cruſtis componuntur pluribus, unus lapis alteri inſeritur, & difficulter ſeparantur: duritie reſpondent lapide Judaico, adeo ut exiſtimentur in eosdem uſus transferri poſſe, cum diſcrepantia non niſi figura exiſtat.* Hæc deſcriptio cum concinna ſit & veritati conſona, pauca nunc tantum ad majorem illuſtrationem addam, quæ in diverſis horum fungitarum ſpeciminibus obſervavi. Ad ſubſtantiam igitur eorundem quod attinet, hæc plerumque calcaria eſt, & admodum dura, rariſſime ſelenitica, vel lapidi Judaico ſimilis, quam a primo initio (quemadmodum coralliorum marinorum omnium materia) mollem fuiſſe & fluidam, varia, quæ obtineo, fungitarum horum ſpecimina, plana, compresſa, varieque à vi externa deformata, abunde oſtendunt. Structuram eorundem internam ſi conſideramus hæc poroſa, ſpongioſa eſt atque ſtriata, illi haud abſimilis, quam illuſtris *Columna* in diſſert. de Gloſſopetris p. 33. fungo ſuo lapideo coralloidei attribuit, cum quo etjam figurâ externâ proxime convenire videntur noſtri, niſi quod petiolus in plenisque ſit acutior, magisque incurvetur. Unde magnam quoque affinitatem habere videntur cum illa lapidis corrallini ſpecie, quam *Columelli* nomine propoſuit *Luidius* in Lithogr. ſua Anglicana. Capitulo autem gaudent omnes hi noſtræ fungitæ, anguſto, exterius radiato, interius profunde ſtriato, ſtriis a profundiori centro ad marginem, ſive ambitum elatiorem excurrentibus, rotundo in plerisque, in quibusdam quadrato vel rhomboidali. Capitulum hocce ſenſim anguſtatum deſinit tandem in pediculum itidem radiatum, plerumque brevem & obtuſum, interdum longum, valdeque incurvatum, rariſſime rectum & acu-

& acuminatum. Magnitudo incurvatorum fungitarum diversa est & varia. Maximi etenim ad cornu arietini: breviores ad agnini: & minimi ad agnelli recens nati cornu longitudinem accedunt. Fungitam mediæ magnitudinis, sed longo incurvatoque petiolo dotatum, figura hic apposita exhibet. Exterior eorundem superficies plerumque lævis, quandoque striata & crenis annulisq; distincta, rarissime tuberosa, vel spinis armata. Omnes hasce differentias in variis fungitarum speciminibus ostendere possum, quæ vel ipse in insula Carolina collegi, vel provinciæ Gothlandicæ Medicus Experientissimus D. *Johannes Pihl* mihi ex Gothlandia transmisit, ubi multi solitarii, & â matrice liberati, plures poro, lapidique corallino adnati, vel calcario communi immersi intra montes calcarios & ad maris litora, colliguntur. Quod ad eorundem à *Wormio* memoratam virtutem medicam attinet, cum hæc dubia adhuc sit, & a saxi calcarii communis usu parum differat, de ea nihil quod addam, habeo.



7. *Fungites mediæ magnitudinis subrotundus, lævis, Gothlandicus, cujus pileoli orificium rotundum, & profunde striatum, pediculus autem valde brevis.*



De hoc verbo tantum monere debeo, quod ille lævitatem hanc suam, & ovalem formam, quâ pileolum nauticum exacte repræsentat, non naturæ, sed artificis manui debeat.

8. *Fun-*

8. *Fungitæ, mediæ magnitudinis, tetragoni Gothlandici, quorum pileoli orificium vel quadratum, vid.* Fig. a, *vel rhomboidale*, Fig. b. *pediculus autem brevis & exiguus existit.*



9. *Fungitarum minimorum pediculo destitutorum capitula parva striata ac trochiscorum instar crenata, collecta in litore maris Gothlandiæ.*

Fungitæ talis utrumque latus ex adverso depictum sistitur, ubi literæ *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, & *f*, partem eorundem superiorem indicant. Lit. *g* autem & *h* inferiorem, in qua pediculi detriti superstes adhucdum vestigium distincte discernitur.



Lapillos tales tenues crenatos, & circulares, *Calceolarius* in Muſeo ſuo p. 328. Numiſmales, a ſimilitudine cum numis, vocavit. *Luidius* autem ſimiles in *Anglia* repertos loc. cit. N.o 151. porpitæ minoris nummularis titulo propoſuit. *Scheuchzerus* tandem l. c. Fig. 43. & 44. tales in *Helvetia* natos, lentes lapideas appellavit ſtriatas, utrinque convexas, vitreis figurâ ſimiles, cum *Luidio* anxius & dubius unde originem traxerint, & ad quodnam foſſilium genus reduci debeant. Rem acu tetigiſſe videtur Cl. *Büttnerus* in diſſert. de Coralliis foſſilibus p. 24. dum ſimilem ibidem Tab. III. Fig. 5. depictum lapillum, fungi cujusdam marini ſuperiorem partem ſeu capitulum rectiſſime nuncupavit. Sive enim noſtrorum lapillorum partem ſuperiorem, *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, & *f*, in modum fungitarum crenatam & rotundam; ſive inferiorem *g* & *h* petioli veſtigium adhucdum oſtendentem, examinaveris, utraque cum fungitis minimis convenit, quamvis in poſtica parte petiolus quandoque adeo ab aquarum fluctibus detritus ſit & exeſus, ut dignoſci vix poſſit. Idem hoc locus eorundem natalis ſuadere videtur, quippe qui cum reliquis fungitis idem eſt ac communis.

10. *Saxum calcarium Gothlandicum proxime memoratorum fungitarum exiguis capitulis, aliisque petrificatis marinis gravidum.*

Effigies



Effigies ejusdem hic pingitur. In aliis autem speciminibus, quæ possideo, fungitæ similes majores simul & minores commixti cum pectinitis cernuntur. De hoc omnique lapide tali fungifero iterum monere debeo, quod, si ejusmodi lapides à fluctibus marinis alluantur, adeoque polian- tur, ut nihil præter umbratiles stellares figuras in superficie ostendant, hinc novum Lithographis astroitæ genus suppeditant verticale, solare & cometiforme vocatum, radiis solaribus, stellaribus, cometiformibus coruscans. De quibus consulatur Cl. *Wolkmanni Siles. subterr. Tab. XVIII. Fig. 3. 4. 5. 11. 12. & Tab. XX. Fig. 1. & 2.* Quæ nova tamen astroitæ species, nihil aliud est quam capitulorum modo memoratorum densa strages & congeries lapidi immersa, quemadmodum in variis à me servatis speciminibus demonstrare possum.

ARTICULUS TERTIUS,
De Fungitis.


§. II.

11. F*ungites Gothlandicus magnus, pileolo amplo, lato, admodumque expanso, sed pediculo brevi donatus.*



Elegans hæc fungitæ ſpecies forma ſua ac figura adcurate convenire videtur cum fungita Helvetico ejusdem nominis, quem Celeberr. *Langius* in Hiſt. Lap. Fig. Helvet. p. 52. Tab. XII. depictum expoſuit.

12. *Fungites major orbicularis Gothlandicus, facie ſua ac figura proxime accedens ad fungitam orbicularem Helveticum ejusdem* Langii *loco citato Tab. XI. deſcriptum.*



13. *Fungites elegans major, oris profunde crenatis, intusq; reflexis, ex* Gothlandia.

Hic itidem ab ejusdem nominis fungita Helvetico Langiano Tab. XI. haud multum abludit, nisi quod pede destitutus margines densiores, magisque crenatos & ex meris lamellis concretos habeat.

14. *Fungites major orbicularis, amplo pileoli orificio, cujus crenati & tenues margines præter morem valde exstant, & circa centrum in altum elevantur.*

15. *Fungites Gothlandicus, maximus circumferentia sua 14. pollices capiens, ex meris lamellis tenuioribus ac striatis compositus. In cujus protuberante capitulo, cavitas adeo coarctatur, ut digiti minimi apicem vix admittat.*

16. *Fungites mediæ magnitudinis candidus, ac elegans, levioribus quidem, ast nitidissimis striis, a centro profundiori ad marginem elatiorem, amplum ac reflexum, procurrentibus, brevique petiolo conspicuus.*



Ejusdem generis ac elegantiæ fungitam lapidi calcario cinereo immersum, inter fragmenta saxi Gothlandici etiam reperit & depictum dedit, studiorum quondam & itineris socius svavissimus nunc b. m. *J. F. Leopold* in itinere suo Svecico p. 106. Tab. VII. F. 2. quam consule. Ceterum hi omnes memorati fungitæ majores, *Gothlandiæ* calcarios montes vel litora pro patria agnoscentes, substantiæ sunt calcariæ durissimæ, & coloris albidi, vel obscure cinerei; in parte eorundem exteriori, striæ leves, per totam superficiem excurrentes observantur, in interiori profundiores & quasi crenatæ, a centro ad peripheriam producuntur,


 quæ

quæ in nonnullis ſpeciminibus ſitum adhuc & diſpoſitionem lamellarum intermediarum, e quibus fungi conflari ſolent, luculenter oſtendunt. Magnitudine iidem, uti icones teſtantur, differunt, omnesque, majores inprimis, pediculo ſuo ſed breviori inſtructi ſunt, quamvis frequenter etiam ſine eodem occurrant.

17. *Fungites Gothlandicus major parvo pediculo, cujus pileoli orificium lapide calcario communi infarctum & repletum.*

Quod horum fungitarum orificia interna non ſemper vacua ſint & cava, ſed peregrina quadam materia interdum oppleantur, hic cum ſequentibus nonnullis teſtatum facit, cujus tota pars interior cava, ſaxo calcario referta & oppleta viſitur.


18. *Fungites Gothlandicus major, longo & incurvato pediculo, cujus pileoli orificium ſtalactite infarctum eſt.*



19. *Fungites alius Gothlandicus brevi pediculo, & magno latoque pileolo conſpicuus, cujus orificium ſive cavitas, madrepora placentiformi ſive eſchara marina tenui reticulari obtegitur.*

20. Fun-

20. Fungites Gothlandicus brevi pediculo & magno ampleque pileolo, cujus superficies tota figuris astriformibus subtilissimis, & propemodum obliteratis obducitur.



Lapidea hæc infarctura & astralis expletio novam iterum astroitæ speciem constituit, cujus centra scilicet minora & radii majores sunt. Figurâ autem lapis hic adpictus convenire videtur cum Cl. *Helwingii* corallio albido figuris astriformibus propemodum obliteratis notato, in lib. citato Tab. V. F. 23. & p. 53. descripto: quam stellularum extersionem ego, cum Eruditissimo Auctore, aquarum fluctibus adscribo.

§. III.

21. Fungitæ octo majores, candidi pyxidati, quorum pediculi in imo coaliti, ex uno quasi pede ac principio exsurgere videntur.



Inter omnes quas hactenus fungitarum species vidi, hæc Gothlandica à latere dipicta luxurians, pro rarissima & pulcherrima haberi debet.

Quip-

Quippe quæ ex octo arctissimè coalitis fungitis, quorum quisque proprio suo gaudent capitulo sphærico cyathiformi, crenato, uti ex icone liquet, nec non pediculo singulari acuminato constat. Ut in basi coëuntes octo minores unum quasi majorem luxuriantem, & ex minoribus collectum fungitam repræsentent. Fungos hujus faciei terrestres, concretos & calyciformes, sed longe minores & seminiferos, depictos vide apud *Losselium* in *Flora prussica* p. 98.

22. *Ejusdem generis tertius luxurians & prolifer fungites Gothlandicus, ex octo minoribus infundibuliformibus concretus, qui à proxime memorato non nisi colore & magnitudine discrepant.*

23. *Ejusdem generis tertius luxurians, ex septem minoribus calyciformibus compositus, qui hoc à ceteris differunt, quod centralis capitulorum cavitas plana conspiciatur, totaque materia calcaria infarcta.*

24. *Ejusdem generis quartus, ex quatuor tantum minoribus cyathiformibus fungitis constans, quorum singula capitula, profundam in centro cavitatem, & in ambitu duplicem quasi admodumque elatum marginem ostendunt.*

Curiosa hæc fungitarum congeries, cum illo columellorum concreto, figura convenire videtur, quod *Wolkmannus* l. c. Tab. XIX. F. 3. depictum sistit: nisi quod columellorum margo in nostro crenatus, in Wolkmanniano lævis. Si autem figuram singulorum horum fungitarum, ex quibus totus componitur, examinemus, convenit hæc eadem omnino cum ista fungitæ specie, quam *Luidius* l. c. columelli ficoidis nomine; *Scheuchzerus* autem in Lithogr. Helvet. Fig. 20. 21, & 22. alcionii tuberosi ficoidis titulo proposuit.

25. *Lapis*

25. *Lapis calcarius grisei coloris, multis minoribus ac majoribus fungitis pyxidatis inter se coalitis gravidus.* Ex Gothlandia.

Lapis hicce, magnitudinem si exceperis, exacte convenit cum massa illa lapidea Gothlandica fungitis gravida, quam Cl. *Leopold* in itinere memorato Svecico Tab. VIII. p. 107. Coralloidis fistulosi titulo descripsit.

26. *Porpitarum plurium monstrosa congeries* Luidii, *sive fungitarum minimorum pediculis destitutorum elegans concretio, ex duodecim exiguorum fungitarum capitulis crenatis & radiatis constans, quæ superficie sua stellari astroitæ iterum novam speciem fingit, ex insula Gothlandiæ Carolina.*

Concretum hocce lapideum stellari ac astriformi sua figura, ultimam astroitæ vegetabilis speciem absolvit, radiis scilicet stellularum majoribus & centro depresso ac concavo conspicuam, proxime accedentem ad Cometitam *Scheuchzeri* N. 54. l. c. vel ad ejusdem astroitam majoribus stellis, ibidem N. 49. & 52. delineatos: quæ tamen astroitæ species, ceterique omnes magnifico hoc astrali titulo superbientes, lapides vegetabiles, reipsa nihil sunt nisi minimorum fungitarum, pediculis privatorum coagulum lapideum, quemadmodum ex iconibus hic additis facile colligitur, ubi N. 1. fungitam parvum brevissimo pediculo sistit. N. 2. posticam ejusmodi fungitæ partem, in qua pediculi vestigium adhuc superstes cernitur. N. 3. fungitam minorem longo & recto pediculo. N. 4. binos ejusdem generis coalitos N. 5. autem duodecim concretos fungitas minores exhibet. Adest itidem alius elegantior, ex sex exiguis capitulis pyxidatis, in unum pediculum

deſinentibus, quem tamen iconis ob defectum omittere nunc debeo.



§. IV.

27. *Fungites magnus prolifer ac triplicatus Gothlandicus, cujus tria vel plura capitula cyatiformia imbricatim alterum alteri innatum, ex uno eodemque pede exſurgunt.*

Proliferi hujus fungitæ iconem vide *Tab. Fig.* 3. *p.* 411.

28. *Boletos communes figura ſua referentes lapides Coralloidei, reperti in Gothlandiæ litore marino.*

Veros boletos terreſtres figura ſua adeo eleganrer imitantur hi lapides, ut tales antea fuiſſe facile quis mecum crederet. Pediculo enim exiguo cavo ac tubuloſo, capitulum in metam ſeu mucronem faſtigiatum, non

non quidem cancellatum & feneſtratum, ſed ſtriatum ac ſulcatum, inſidet. Quod ſi tamen rem fatear, uti eandem concipio, pro fungitæ illa ſpecie haberi debent hi lapides, cujus capitulum ſupremum parvum, alteri latiori & pedato innaſcitur, tali fere modo, ac in proxime memorato & triplicato fungita cernitur; a quo tamen brevitate & figura boletiformi abſcedit.

29. *Fungites Gothlandicus major, amplo latoque & per medium diſſecto capitulo, cujus magnitudo, color, ſuperficies luteſcens, atque ex baſi protuberans brevis pediculus, rapam cummunem per medium diviſam, tam exacte fingit, ut peritiſſimum fallere poſſit.*

30. *Fungitæ Gothlandicæ alia ſpecies, aſperitate ſua rugoſa, item & annulari figura, totaque facie, rapam exiguam aſſatam apprime referens.*

Hæc una cum priori ad fungitarum jam memoratum genus referri debet.

Atque hæc præcipua fuerunt telluris noſtræ hactenus detecta lithophyta, quorum maxima pars quamvis colore, ſubſtantia, figura, totaq; indole cum illis lapidibus foſſilibus corrallinis Anglicanis, Helveticis & Germanicis convenire videatur, quos Cl. *Luidius*, *Scheuchzerus*, *Langius*, *Helwing*, *Wolkmannus*, *Büttner*, aliiq; jam antea deſcripſerunt; exſtant tamen inter eosdem multa ſpecimina, quæ ab iisdem quam maxime diſcrepant, & digna videntur, ut nitidioribus iconibus illuſtrarentur. Nos ad ſecundam ſpeciminis hujus ſectionem properamus, quæ animalia noſtra petrificata, illorumque partes varias foſſiles ac lapidefactas comprehendet.

ARTICULUS PRIMUS.
De lapidibus insectiferis Scanicis & Gothicis.

§. I.

VEgetabilia ſubterranea ſequuntur Animalium partes variæ foſſiles ac lapidefactæ: inter has lapides noſtri inſectiferi primum locum ſibi vindicant. Mollia inſecta duro ac diaphano ſuccino incluſa miratus quondam lepidus *Martialis*, qui in Epigramm. Lib. IV. & VI. viperam formicamque electro ſepultam, elegantiſſimo epitaphio celebravit. Majori ſane admiratione dignum eſt, inſectorum ſpolia, ipſosque vermes videre duriſſima inter ſaxa, labentesque montium ruinas, ſepultos. Vivos vermes in ipſo lapide nidulantes, ſaxumque commune comedentes, memoravit *Moufettus*, *Bonannius* aliique: lapides autem apum, ſcarabæorum, vermiumque exuviis gravidos meminit *Lippus*, *Richardſonius*, & nuperime Cl. *Beringer* in Tractatu quodam de *inſectis petrificatis Wurtzburgenſibus*. Nos non niſi de indigenis ſoliciti, miſſis exterorum exemplis ad domeſtica pergimus. Ad lapides igitur inſectiferos Svecanos pertinent:

1. *Lapides fiſſiles nigri aluminares inſectorum veſtigia & figuras varias exhibentes, collecti in celebratiſſima lapicidina aluminaria Andrarumenſi in Scania.*


2. *Ejusdem generis lapides alii nigri, in quibus inſectorum horum veſtigia, tenui mica aurea & argentea obducta, auri atque argenti colore eleganter coruſcant. Ex eadem lapicidina Scanica aluminaria.*

In fodinæ hujus ſcilicet parte ſeptentrionali, & quidem cuniculo in ordine ſexto ac ſeptimo, lapis hicce inſectis fœtus effoditur, ſciſſilis, niger, aluminoſus, & qui-

& quidem ejusdem plane generis ac reliqua minera aluminis, quæ ibidem effoditur, nisi quod hæc eadem pyritæ communis scintillis ac particulis magis abundet. Insecta autem in hoc lapide conspicua, quemadmodum ipsa aluminis minera, qua ceu matrice continentur, plerumque nigricant, pulvisculo levi griseo conspersa, quandoque tamen tenui flavi vel albicantis pyritæ foliolo obducta, aureo quasi vel argenteo fulgore eleganter micant. Facies eorundem diversa est, sed ubique tam peregrina & obscura, ut nemo nisi Oedipus nomen divinare, vel genus, quo pertineant, præcise definire possit. Quamvis enim quædam, si conjecturæ locus, ad pedata non alata, & quidem insectorum illam speciem accedere videantur, quæ multis pedibus incedit; reliqua autem vaginipennia, alas suas vaginis condentia, utcunque referant, conjectura tamen est, nec satis constat, ad quod insectorum genus, præcise referri debeant. *Jacobus Ludenius Westrogothiæ* quondam Medicus provincialis celeberrimus in *Exercit. sua de Lithogenesia Macro & microcosm. part. prior. §. 8.* Hæc eadem cum Lumbricis terrestribus & scarabæis comparavit, dicens: *Idem etiam in petrifactis insectis, Lumbricis terrestribus, scarabæis, aliisque in minera aluminis in Scania reperiundis, observatur, ubi scarabæi petrifacti ex scissili illo lapide eruti, cum vivis quoad omnia lineamenta conveniunt, nec vel exercitata artificis manu melius effingi possunt, nec ulli dubium relinqvunt, quin veræ scarabæorum reliquiæ sint.* Verum ut rem ipsam fatear, lubens confiteor me in illis schisti hujus aluminosæ speciminibus, quæ hactenus vidi, quæque à fodinæ illius, totiusque *Scaniæ* quondam Magistro metallico, illustri *Gripenhielmio*, obtinui, exactam hanc lumbricorum & scarabæorum similitudinem non deprehendisse, sed confusas tantum vermiculorum multipedum imagines, & vaginipennium animalculorum impressiones tales,


 les,

les, quales heic in Iconibus infra additis manu artificis exprimuntur: ubi *a* & *b* bini lapides ſimiles aluminoſi nigri fiſſiles diffracti & diviſi ſiſtuntur, ut L. B. videat, quomodo inſecta hæc inter ipſa ſchiſti ſtrata deliteſcant, ita figurata quemadmodum ibidem depinguntur. Ad lit. *c* autem ejusdem generis lapis exhibetur alius, in quo inſectorum imagines & veſtigia, aureo vel argenteo colore fulgent.



b

b



c



§. II.

§. II.

MAjorem cum vermiculis vaginipennibus cruſtatis & ſcarabæis ſimilitudinem habere videntur inſectorum illæ exuviæ lapideæ, quas ſaxo fœtido immerſas, in Weſtrogothia primus collegit, mecumque communicavit provinciæ Scaraborgenſis tunc, nunc Nericienſis Medicus celeberrimus, D. D. *Johannes Heſſelius*. Saxum ſcilicet hocce inſectiferum in *Weſtrogothiæ* parœcia *Karabylonga*, *Dala*, aliisque haud procul ab antiqua urbe *Skara* locis effoditur, & Calcarii genus eſt fiſſile, albidum vel fuſcum, gravem, ſi ferro teratur, fœtorem ſpirans, unde fœtidi nomen contraxit ſuilli, noſtratibus autem *Orſteen*, quoniam morbo ſuibus familiari *oran* vocato, medetur, de quo in ſpecimine ſequenti agendum erit. Inter cruſtoſas ſciſſileſque ſaxi hujus fœtidi tabulas, inſecta memorata protuberant & exſurgunt, ſubſtantia ſua, colore ac fœtore cum lapide, cui inhærent, convenientia, ſed ſpecie, figura ac magnitudine inter ſe diſtincta. Præter umbratiles etenim papilionum vel muſcarum quasdam imagines, lapidi huic leviter ſed diſtincte impreſſas, multa ſcarabæorum figuras, mole totaque facie imitantur; longe plura autem aliud quoddam exiguum & cruſtatum ignoti vermiculi genus referunt, quemadmodum ex iconibus ſequentibus percipiet benevolus lector; veniam, facile daturus artifici quod has naturæ delicias & ſubtiliſſimas vermiculorum effigies, in ligno minus adcurate exprimere potuerit.

3. *Scarabæorum vel aliorum vaginipennium animalculorum veſtigia, Lapidi ſciſſili fuſco ac fœtido impreſſa. Ex Weſtrogothiæ parœcia Karabylonga*, ubi fœcundiſſima lapidis hujus meſſis colligitur. Forma & effigies horum animalculorum in addita icone conſpicitur.

4. *Lapis*



4. *Lapis fiſſilis ſubalbidus vel fuſcus in ſuperficie & inter ſtrata ſua, minimorum vermiculorum vaginipennium & cruſtatorum imagines innumeras exhibens, inventus intra ejusdem Karabylongæ lapicidinam quandam calcariam in Weſtrogothia.* Ignoti hujus animalculi ſtrages lapidi ceu matrici immerſa a latere depicta cernitur.


 5. *Ejus-*



5. *Ejusdem generis lapides insectiferi, circa cœnobium Westrogothiæ celebratissimum Warnhemense collecti.* Hi figura cum proxime memoratis conveniunt, nec nisi natali loco differunt.

6. Saxum

6. *Saxum fœtidum nigrum ſpoliis inſectorum majorum vaginipennium refertum. Ex eadem lapicidina in Karabylonga.* Quantum mole ac magnitudine proxime recenſita ſuperent hæc in ejusdem generis lapide conſpicua animalcula, ex addita imagine colligi poteſt.



7. *Ejusdem generis ac magnitudinis inſecta cruſtata, lapidi calcario candido communi & inodoro immerſa. Ex Weſtrogothiæ parœcia Dahla.*

8. *Vermiculorum aliud ſingulare; & quaſi alatum genus lapidi fœtido griſeo, nec non fuſco innatum. Ex iisdem locis in Weſtrogothia.* Ob iconis defectum, ignotum hocce animalculum rite deſcribi nequit; figura tamen & ſpecie magnam affinitatem habere videtur cum vagini pennibus illis alatis inſectis, quæ in ſchiſto aluminari Andrarumenſi conſpicua, ſuperius No. 1. delineantur.

9. *Papilionum majorum ac minorum imagines, & impreſſiones nitidæ, in lapide calcario communi inodoro, uti etiam in alio fœtido conſpicuæ, ex iisdem Weſtrogothiæ locis.* 10. *In-*

10. *Insectorum ovula, an Nymphæ seu Aureliæ lapideæ? saxo fœtido nigricanti immersa. Ex eadem parœcia Karabylonga.*

11. *Lapis fissilis niger vermiculi corpusculum rugosum exhibens in superficie. Ex monte Dahlensi in parœcia Dahla.*

Atque hæc præcipua sunt lapidis hujus insectiferi Westrogothici specimina, quæ hucusque obtinere potui, de quorum loco natali elegantissimam relationem cum idem laudatissimus D. D. *Hesselius* transmiserit, non possum quin eandem cum Lectore benevolo heic communicem. *In Westrogothiæ*, ait, *parœcia Karabylonga, quarto ab antiqua urbe Scara, lapide, prope viam regiam, in valle quadam profundiori, lapicidina ex lapide calcario & fissili nigro constans, conspicitur, cujus strata ex tenuioribus & crassioribus tabulis concreta, totum campum occupant, ab utroque latere, parietum ad instar protuberantia. Superior terræque proxima crusta ex tabulis calcariis dilute griseis composita, lapidi calcario Oelandico haud dissimilis videtur, inter strata sua quemadmodum ille multos dactylos lapideos, sive alveolos variæ magnitudinis, occultans. Ex saxo hocce calcario rudi Westrogothi templa sua & cippos sepulchrales exstruere solent, ex eodem autem cremato calcem optimam præparant. Sub strato hocce calcario griseo, alius hujus elegans niger ac fissilis lapis situm habet, cujus lamellæ quo profundius tendunt, eo crassiores & solidiores evadunt, perutiles tunc & aptæ ad tabulas mensarias & scriptorias inde conficiendas. Inter nigerrimi lapidis hujus strata juxta lapicidinæ parietes, venæ hinc inde excurrunt lapide suillo fœtido gravidæ, qui lapis colore variat, & plerumque in chrystalliformes figuras excrescit. Fœtidi hujus lapidis matrix in fundo lapicidinæ hinc inde dispersa, vel ipsi*

ipsi morti adnata, fœtore suo cum fœtido fœtu suo, quo impragnatur, convenit, sed more lapidum fissilium in tenues lamellas facile finditur, innumera insecta superius descripta lapidea diversæ figuræ, typi ac magnitudinis undique inter strata sua fovens. Inter easdem tabulas fissiles præterea inprimis prope lapidicinæ fundum; ubi densiores evadunt, globuli visuntur lapidei nigricantes plani vel sphærici, sed adeo affabre concinnati, ut intra modiolum exactius formari non possint, qui a matrice sua divulsi vestigium relinqvunt illi simillimum, quod in cera molliori a corpore duro exprimitur. Ex ipsis lapicidinæ hujus parietibus pulvis albicans exsudat, qui quemadmodum ipse lapis fissilis, cui adhærere solet, sub dio & in apertis locis insipidus est, sed in occultis, ubi aeri aditus non patet, manifestum aluminis saporem habet. Ex stratorum fissuris denique aqua quædam limpida, ochram subtilem russam vehens, quæ super lapides præcipitata & exsiccata, eosdem colore inficit luteo, illique simillimo, quem Schiltgelb appellare solemus. Hactenus Vir clarissimus, cujus promissam *Historiam Westrogothiæ naturalem* anxie exspectamus.

§. III.

Recensitis binis hisce lapidis insectiferi generibus tertium addere nunc debeo, dudum & diu antequam Westrogothicus ille innotuerat, a me in *Ostrogothia* repertum. Scilicet cum anno 1715 valetudinis gratia ad acidulas *Ostrogothiæ* celebratissimas Medwicenses iter instituerem, inter *Ostrogothiæ* oppida *Schenningam & Lincopiam* in parœcia *Giärstad*, haud procul a templo Ulleviensi, collem arenarium animadverto, vario saxorum genere, inprimis fœtido illo seu Suillo abundantem, cujus fragmenta ultro citroque dispersa dum colligo, malleoque divido, inter saxi tabulas fissiles, insignem exiguo-

rum animalculorum lapideorum ſtragem diſperſam & lapidi impreſſam, deprehendo. Ipſe lapis quo animalcula hæc continebantur, ſubſtantia, colore, fœtore totoque genio cum proxime memorato ſaxo inſectifero Weſtrogothico plane convenit; inſecta etiam in eodem conſpicua, forma, figura totaque ſua facie illis inſectis ſimillima ſunt, quæ in ſaxo Weſtrogothico conſpiciuntur, adeo ut mirari ſatis nequeam, quomodo tot ejusdem ſpeciei inſecta ad tam diverſos adeoque inter ſe diſtinctos *Gothiæ* locos pervenire potuerint. Similitudinem hanc utriusque lapidis inſectiferi ut melius dignoſcat Lector benevolus, ipſa ſpecimina Oſtrogothica, quæ tunc collegi, heic enumerabo.

12. *Lapis fiſſilis fœtidus, fuſcus, innumeris exiguis animalculorum cruſtatorum figuris undique refertus. Ex arenariis in Oſtrogothiæ parœcia memorata Giärſtad.* Animalcula hæcce mole, figura teſtudinacea, totaque ſpecie exacte conveniunt cum ignotis illis vermiculis Weſtrogothicis, quorum ſuperius in præcedenti paragrapho ad Num. 4. mentionem fecimus.

13. *Inſectorum majorum vaginipennium & quaſi alatorum, ſpolia lapidea in ſaxo fœtido conſpicua, ex eodem loco.* Hæc iterum figura ac ſpecie magnam affinitatem habere videntur cum inſectis illis alatis Weſtrogothicis, quæ ſuperius ad Num. 8. memoravimus.

14. *Papilionum minorum imagines & impreſſiones, in ejusdem generis ſaxo ſuillo fœtido. Ex eodem loco.* Hæ itidem figura ſua a papilionibus illis differre haud videntur, quarum ſuperius Num. 9. meminimus.

Plures inſectorum ſpecies in lapide hocce Oſtrogothico non obſervavi; præter quas, cum in eodem ſabuleto plurimos ſimul conchitas majores & exiguos

ſpectun-

pectunculitas, inferius recensendos, saxo ejusdem indolis immersos invenerim, dubitare cœpi, utrum prosapiæ terrestris essent ignota hæcce animalcula, & annon pelago potius quam telluri originem suam debeant. In hac opinione me non parum confirmabant superius memorata lapidum insectiferorum specimina Scanica, & inprimis Westrogothica, quæ conchitas & pectunculitas similes semper quoque comites habuerunt, haud obscuro indicio, quod tota hæc supellex lapidea vermicularis, haud minus ac testacea, pelagi quondam fœtus fuerit, qui in fundo maris natus, & ab diluvianis undis in telluris gremium translatus, ibidem tractu temporis ab effluviis calcariis in substantiam lapideam mutatus sit.

15. *Lapis fissilis fuscus & fœtidus, ejusdem generis insecta continens, quæ superius No. 1. 8. 13. descripta sunt, inventus in lapicidina quadam saxo fissili ac fœtido divite, in Nericiæ parœcia Knista.* Animalcula hæcce iterum nec facie nec figura a superius memoratis insectis lapideis Ostro- & Westrogothicis differunt, præterquam loco natali. Is etenim mediterraneus est, & multis miliaribus a parœciis *Giärstad* & *Karabylonga* remotus.

Lapis aluminaris niger, scissilis, Scarabœorum majorum nitidissimis imaginibus ac vestigiis gravidus. Ex fodina aluminaria prope Olstorp, in Westrogothiæ parœcia Aklinge, ubi illustr. General. Mentzer officinam aluminariam nuper instituit. Inter omnes, quas hucusque vidi lapidis insectiferi species, hæc elegantissima est & nitidissima, quippe quæ scarabæorum majorum, aquaticorum, vel similium insectorum vaginipennium grandiorum figuras & impressiones adeo nitide ac dilucide exprimit, ut penicillo adcuratius vix depingi possint.

ſint. Figurâ externâ conveniunt inter ſe hæc animalcula, haud ſecus ac colore griſeo, quo, tenui quaſi tegmine teguntur; ſed magnitudine differunt. Quamvis enim pleraque corporis mole ſcarabæos communes vix ſuperent, nonnulla tamen ad aquatici majoris, vel cornuti ac naſi cornis ſcarabæi magnitudinem aſcendunt. Ipſa matrix, cui inſectorum hæ imagines & veſtigia inhærent, lapis eſt niger fiſſilis aluminaris, optimum alumen ſuppeditans, qui uno duntaxat fodinæ hujus in loco ad 6 vel 8 orgyarum profunditatem ſub tellure effrangitur, quemadmodum in literis mihi miſſis teſtatur lapidis hujus inventor celeberrimus, D. D. *Heſſelius*, cujus benevolentiæ ſpecimina hæcce Weſtrogothica debeo.

Lapis calcarius fœtidus fuſci coloris, inter innumeras inſectorum minimorum figuras, conchitam alatum, anomicum, elegantem exhibens. Ex eadem Fodina aluminaria ibidem. Inſecta hæc quemadmodum ipſa matrix cui adnaſcuntur, figurâ ſua ac ſpecie conveniunt cum antea memoratis exiguis animalculis Gothicis: ſed concha inter eadem protuberans adeo ſingularis & peregrina eſt, ut quo eandem præciſe referam, admodum ignorem.

ARTICULUS SECUNDUS.
De
Tubulitis Vermicularibus.

§. I.

Tubulites vocatur lapis teres, tubuloſus, figura ſua referens teſtaceum quoddam marinum, fiſtulæ modo

do

do cavum, & convolutum, in quo vermis delitescit, unde etiam tubulus vermicularis appellari solet. Hujus generis varii lapides apud exteros reperiuntur; sed apud nos quamvis ejusmodi tubuli conchis cochleisque adnati sæpissime in oceano circa urbem *Gothoburgum* & *Udwallam* conspiciantur, intra tellurem tamen adeo pauci hactenus detecti sunt, ut distinctum articulum vix mereri videantur. Cum tamen a reliquis quibuscunque petrificatis toto genere discrepent, non potui quin proprium iisdem locum assignarem. Hoc nomine igitur veniunt.

1. *Tubulitæ exigui vermiculares cinerei, fungitæ minoris capitulo radiato, adnati. Ex Insula Gothlandia.*

2. *Lapis calcarius grisei coloris, præter trochitas, & lapides figuratos ovatos exiguum tubulitam in superficie exhibens, inventus in territorio Ferstorum Scanico, prope villam Bierods ladugård vocatam.*

3. *Argilla cinerea Siliceæ duritiei, variis anfractibus & foraminibus pertusa, cui adnascuntur balanorum calices, striati candidi, & vermiculini ductûs varii, a Lithographis alcionium vermiculare, & tubuli vermiculares, vocati, inter canas sterilesque rupes in fundo oceani reperta, circa castellum Marstrand in Bahusia, ubi tam copiose invenitur, adeoque indies adcrescit, ut piscatorum retibus non leve damnum ac incommodum inferat.* A nostratibus alcionium hocce ibidem *hekel*, a lacu ejusdem nominis, appellatur, de quo plura qui desiderat, legat velim cl. *Leopoldi iter Svecanum.* p. 109 & illustris *Hierneri beswarade och förklarade anlednings första fläck.* p. 81.

CAPUT SECUNDUM.

Testacea fossilia lapidesque Conchiformes continens.

Articulus Primus.

De *Testaceis marinis variis, quæ integra & immutata e tellure effodiuntur.*

§. I.

QUod Testaceorum nomine generali animalia veniant exsanguia marina, substantiam intus habentia, carnosam, mollem, extus duram atque solidam, omnibus adeo notum est, ut explicatione non indigeat. Substantia hæc Testaceorum interna mollis ac carnosa rarissime, si unquam in lapidem indurata cernitur, exterior autem & dura portio in universum Testa, nostratibus *Snäck-* & *Mussell-Skal* vocata, hæc eadem est, quæ vel integra & quoad substantiam immutata ex Tellure eruitur, vel intra terram lapidefacta, & materia lapidosa infarcta, frequentissime deprehenditur. Huc etjam referri debent Concharum variæ farcturæ sive nuclei lapidei ad Conchæ formam ac modulum effícti, in quibus nullum quidem superest amplius testæ vestigium, sed figura tantum Conchiformis, quam soli Testæ, qua olim continebantur, acceptam referunt. Testacea hæc fossilia utriusque generis quemadmodum ipsa marina dividuntur in univalvia & bivalvia. Hæc ex duobus plerumque contiguis corticibus Testaceis componuntur; illa ex unica contigua Testa constant. Utraque classis cum rursus late admodum pateat, consultum singula

ſingula ſeparatim & proprio ſuo ut tractentur loco. In anteceſſum autem & antequam Conchyliorum lapideorum hiſtoriam aggrediamur, neceſſe erit ut illa teſtacea præmittamus, quæ integra & quoad ſubſtantiam ſuam immutata ex Telluris noſtræ gremio effodiuntur. Hujus generis ſunt:

1. *Bolus purpurei coloris, levis, ad contactum lubricus, conchis exiguis, radicumque fibris refertus, erutus in parœciæ Öſterbaninge adjacente pago Oxnön, 3 ½ miliar. ab Holmia.* Prolixam boli hujus conchiferi deſcriptionem tranſmiſit b. m. illuſtris *Gripenhielm*, quæ cum a Doctiſſimo D. *Leopoldo* Lubecenſi in *itinere Svecano* recenſita ſit, illa ibidem p. 69. legi poteſt.
2. *Pectunculi candidi, tenues admodumque fragiles ſtriati, ante annos aliquot hic Holmiæ ad ulnarum aliquot profunditatem intra gremium montis arenoſi* Brunconis *in ſuburbio boreali reperti.* Quod maris quondam alumni fuerint pectunculi hi foſſiles, & inde per diluvium ad altiſſimi hujus collis viſcera translati, ſvadet eorundem figura, ſubſtantia, fragilitas, totaque indoles teſtacea, qua cum pectunculis marinis adeo conveniunt, ut nullum plane diſcrimen intercedat, quemadmodum ex addita figura patet.



3. *Conchiliorum varia ſpecies foſſiles, collectæ in collibus arenariis prope urbem Udwalliam in Bahuſia.* Inter varias illas teſtarum ſpecies, quas ex collibus hiſce ob-

tinui, eminent in primis ſequentes:

1. *Buccinum albidum ſtriatum, intra quinas ſpiras finitum.*
2. *Muſculi communis teſta foſſilis tenuis cinerea minor.*
3. *Pectinis majoris profunde ſtriati teſta cinerea utrinque aurita.*
4. *Dactyli foſſiles ſolitarii, altera ſeu pari valva deſtituti, magnitudine & tenuitate variantes.*
5. *Dactyli foſſilis alia ſpecies major, oblonga & juxta longitudinem ſulcata, cujus extrema pars retuſa & quaſi prærupta cernitur.* Externa ſua facie convenit hæc dactyli ſpecies cum concha illa marina, quam Hiſterus in lib. de Cochl. marin. Tab. v. N. 38. depictam ſiſtit, niſi quod in hac noſtra Udwallenſi apophyſis dentiformis deſit.
6. *Conchæ marinæ ſingularis quædam & nondum deſcripta ſpecies foſſilis, extus gibboſa, & in protuberantiam elevata, intus ſepto transverſali triangulari munita, quo teſtæ pars ſuperior acuta ab inferiori lata ac crenata diſtinguitur.* Ignota hæc conchæ ſpecies a ceteris omnibus multum diſcrepat; longitudine etenim ſua ab articuli digitalis ad integri digiti longitudinem aſcendens, extus convexa eſt, in dorſum gibboſum protuberans, intus cava crenata atque mediante ſepto memorato triangulari in duas quaſi contignationes ſive concamerationes diviſa. Qua ſingulari ſtructura quamvis cum balanarum calicibus ſeparatis & diffractis aliqualem affinitatem habeat, propius tamen ad ſolonis ſpeciem accedere videtur. conſule fig. I. ubi litera *a*) exteriorem ejusdem, *b*) autem interiorem partem indicat. Ad locum Conchiliorum horum omnium natalem quod attinet, tota hæc ſuppellex marina in arenariis collibus & tumulis circa urbem Udwalliam & in vicinis Bahuſiæ inſulis colligitur, ubi dimidia ulna ſub vivo ceſpite denſiſſima ex ſimilibus

conchy-

conchyliis formata ſtrata viſuntur, adeo denſa ac duriter inter ſe compacta, ut ferro dividi ac divelli debeant. Reg. Coll. Metall. Aſſeſſor Nobiliſſ. D. *Svedenborg* in tractatu de *altitudine aquarum & maris in priſco orbe vehementiori æſtu*, conchiferorum horum collium mentionem fecit, aſſerens eosdem nonnullis in locis altitudine 50 orgyiis ſuperare oceanum, ultra 90 ulnas & amplius quandoque inde diſſitum. Subſtantiam horum conchyliorum ſi ſpectemus, calcaria hæc eſt candida & teſtacea, ſed igne cremata & calcinata nigreſcunt, quæ nigredo tamen perit, & in albedinem mutatur ubi aqua ſubacta in calcem fatiſcunt. Modus quo incolæ ibidem ex conchyliis hiſce optimam calcem conficiunt, a Celeberrimo Upſalienſium Profeſſore D. *Laur. Robergio* in diſſert. de *aſtaco fluviatili* p. 5. ſect. I. deſcribitur, quem conſule.

§. II.

4. *Ochra conchifera lutea, conchyliorum varias ſpecies, variaque ſpolia marina continens collecta intra ſpeluncam quandam calcariam deſertam*, fläske-grafven *dictam prope urbem* Chriſtianſtadt *in Scaniæ territorio Willandiano.* Conchifera hæc terra Ochræ luteæ quædam ſpecies eſt calcaria, tenera, admodumque friabilis, conchiliis, coralliis, belemnitis, radiolis aliisque ſpoliis marinis adeo onuſta, ut microſcopio examinata, tota fere ex iisdem compoſita videatur. Inter teſtacea innumera, quæ terræ huic ceu matrici inhærere ſolent, ſequentia obſervavi:

1. *Teſta oſtreæ marinæ inſignis, lævis, ambitu octo pollices capiens.*
2. *Patellæ magnitudinis variæ, læves, tenues, ac oblongæ, figura ſua patelliformi, ovali chamæ vel oſtreæ cujusdam mutilæ ſpeciem præ ſe ferentes.*

3. *Conchæ profundæ striatæ, subrotundæ, majores, quarum striæ a cardine ad imam oram usque extenduntur.*
4. *Conchæ minores subtilissime striatæ & a cardine ad oram magis elongatæ.*
5. *Musculi minores læves.*
6. *Auris marinæ species quædam a communi differens.*
7. *Echinorum, belemnitarum & radiolorum varia specimina elegantissima, de quibus inferius in cap. tertio agemus.*

Substantia supellectilis hujus marinæ, calcaria est testacea & fragilis, qua haud minus ac colore, matrice & indole quam maxime convenit cum terra illa conchifera exotica Lousbergensi, quæ prope Aquisgranum colligitur, & a nobiliss. *D. Swedenborg* in misc. observ. part. I. p. 15. adcurate describitur. Ipsa spelunca, ubi hæc ochra conchifera effoditur, urbi *Christianstad* in *Scania* vicina est, & *fossa lardi* (*Fläske grafwen*) nuncupatur, quoniam intra eandem incolæ in bello danico lardum aliaque obsonia occultaverunt. Appellatur etiam specus montis *Baldri*, quoniam sub monte quodam *Bals* seu *Baldursberg* vocato, penetrat spelunca hæcce, de cujus structura interiori sequentem relationem transmisit D. D. *Ferber* loci ejus oculatus testis: *haud procul*, ait, *ab urbe Christianstadt in Scania, prope prædium Robelöf & pagum Röbyensem, specus visitur insignis subterranea, cujus antrum cum ante annos aliquot meo jussu servus quidam intraret, observavit ille profunditatem cavernæ ad 100 orgyias circiter accedere. Ad profunditatem duarum orgyiarum postquam servus pervenerat, novum iterum tabulatum sive stratum subterraneum deprehendit, unde aditus ad alias plus quam 30 speluncas fornicatas patebat, quæ omnes e simili materia calcaria conchifera albida vel sublutea constare videbantur. Totius specus hujus Calcariæ facies interior fodinam antiquam cum cuniculis suis ac puteolis referebat, ad quorum adyta tamen nemo nunc ob aquam subterraneam, omnia inundantem, penetrare potest. Intra*

ſpeluncam hanc ejusque antra nullus vapor mineralis noxius, ſed aer purus & reſpirationi amicus perſentiebatur. Ulteriorem cryptæ hujus conchiferæ deſcriptionem promiſit, Hiſtoriæ naturalis ſcrutator indefeſſus, celeberrimus Profeſſor Lundenſis D. *Stobæus*, cui præcipua ſuperius memorata conchyliorum ſpecimina debeo. In Fig. 2. Fruſtulum Ochræ hujus patellis, conchis, aliisque marinis gravidum exhibetur.

5. *Terra calcaria alba dura variis conchyliorum ſpeciebus nitidiſſimis gravida, collecta intra Lapicidinam calcariam Egnabergenſem in Scaniæ territorio Giönge-härad.* Conchilia quæ intra Lapicidinam hanc, non niſi quatuor milliaribus a proxime memorata ſpecu montis *Baldri* diſtantem effodiuntur, quamvis cum Baldrianis recenſitis magnam affinitatem habeant, differunt tamen ab iisdem ſequentia:

1. *Patellæ exiguæ ſphæricæ ſubtiliſſime ſtriatæ.*
2. *Conchæ minores læves & candidæ.*
3. *Conchæ tenuiores planæ ſubtilisſime ſtriatæ.*
4. *Conchæ mediæ magnitudinis a cardine ad oram magis elongatæ, læves ventre craſſiore & ad imam oram ſenſim attenuato.*
5. *Conchæ minores ſtriatæ & imbricatæ elegantiſſimæ.*
6. *Pectines variæ magnitudinis profunde ſulcati.*
7. *Pectines ſtriis rarioribus & elatioribus eleganter notati.* Horum ſpecimen elegans matrici adhærens in fig. 3. ſiſtitur.

Quemadmodum proxime memorata conchilia ſpecus montis *Baldri* cum conchis foſſilibus Aquisgranenſibus conveniebant, ita hæc Egnabergenſia, ratione ſoliditatis, ſubſtantiæ coloris ac matricis magnam ſimilitudinem habent cum illis conchis ſubterraneis exoticis, quæ ante annos multos a me prope *Rhemas* in *Campania* inventæ ſunt, & a ſagaciſſimo D. *Schynvoet* Amſtelodamenſi in notis pereruditis ad *muſæum Rumphii* p. 317. deſcriptæ, quarum ſpecies inferius in calce ſpeciminis hujus recenſebuntur.

§. III.

§. III.

6. *Umbilici marini, an blattæ bysantinæ vel alius testacei univalvis fossilis nova & ignota species, reperta in litore lacus Ifwö in Territorio Villandico, 2 milliar. ab urbe Christianstadt in Scania.* Quo titulo novum hocce & nondum descriptum testaceum salutare debeo, ignoro, dubius adhucdum utrum ad umbilici cujusdam marini, blattæ vel patellæ genus pertineat. Cum cochleæ tamen marinæ peregrinæ operculo magnam affinitatem habere videtur. Quippe quod quemadmodum umbilicus marinus testa est tenuis plana candida & sphærica, magnitudine ac crassitie nummulum assem vix superans, in cujus parte anteriori, margine elatiore ac circulari dotata, facies Leonis vel alius animalis barbata cernitur. Bina scilicet in supremo foraminula, oculorum ad instar, testam perforantia, quibus hiatus seu rima transversalis, rictum animalis apprime referens substernitur, undique striis capillaceis, tot veluti capillis, cincta. Pars ejusdem postica parum extuberans blattarum in morem variis circulis minoribus excentricis exornatur, tali plane modo, quo in fig. 4. & 5. depingitur, ubi ad lit. a pars operculi antica ad *b* vero postica exprimitur. Colliguntur autem peregrini hujus testacei specimina in arena litorali lacus *Ifwö* dicti, haud procul ab arce quadam antiqua *Brattingsborg* in Scania, ubi ob figuram numismalem ab incolis *Brattingborgs-penningar* audiunt, & ab ignaris pro nummis in lapides mutatis venditantur, quemadmodum mihi retulit Caroli Coronæ Medicus laudatissimus *D. Roslinus*, qui prolixiorem eorundem historiam promisit.

7. *Ejusdem generis ac indolis alia minora specimina, lapidi calcario candido, ceu matrici adnata, ex lapicidina Egnabergensi in Scania.* Hæc, magnitudinem si exceperis, cum Bratting-

Brattingborgensibus conveniunt, cum antea memoratis conchiliis simul intra lapicidinam calcariam Egnabergensem inventa.

8. *Balanorum Calices sive Testæ majores, conjunctim concretæ & lapidi argillaceo adnatæ, effossæ ex tellure prope villam Smetofta in Westrogothiæ paræcia Hierpus dicta.* Rarissimi hujus concreti testacei anno 1727 bina duntaxat frusta, sub cortice præduro argillaceo ad 50 ulnarum profunditatem e tellure effossa sunt, in Westrogothiæ illo loco ubi fontes salinos ante annos aliquot illustrissimus Baro & Regii metallici Præses dignissimus D. *CONRAD RIBBING*, detexit. Ipsi balani, ex quibus tota utriusque frustuli massa componitur, mole, substantia, figura, totaque facie conveniunt cum exoticis illis balanis marinis, quas *Rumphius* in Musæi Amboinici lib. 2. Tab. XLI. Lit. A depictos sistit, nisi quod cavitates in nostris Westrogothicis intermediæ, argilla cœrulescenti, adimpleantur, uti ex eorundem icone in Fig. 6 exhibita patet. Ad substantiam earundem quod spectat, testacea hæc est, testis balanorum exoticorum simillima, ita ut mirari liceat, quomodo, sine diluvii universalis præsumtione, animalculum marinum adeo peregrinum, nostroque oceano ignotum, ad Regionis Borealis loca mediterranea pervenerit.

ARTICULUS SECUNDUS
De
Testaceis univalvibus lapideis tortuosis sive turbinatis, ad Cochlearum imaginem formatis.

§. I.

Conchyliis fossilibus integris & non mutatis succedunt Testacea lapidea univalvia turbinata. Hæc quamvis

vis noſtris in locis tanta in copia non colligantur, ut muſea noſtra onerent, nihilominus tamen tam ſpecioſa & eximia apparent, ut elegantia ſua eadem quam maxime ornent. Inter turbinata hæcce lapidea, quæ volutis ſive helicibus gaudent, agmen ducit Cornu Ammonis, ita nuncupatum lapidis figurati genus, quod ſpiras in ſe convolutas & intortas habeat ad inſtar cornu Arietini, quo Jovem ſuum Ammonem armatum, Gentiles finxerunt. De qua traditione legatur *Thom. Bartholini* obſervat. de unicornu, *Joh. Reiskii* Exercit. de cornu Hammonis, & *J. J. Bayeri* Oryctographia Norica, ubi nominis hujus origo fuſe explicatur. Antiquo Cornu hujus Ammonis nomini, novum ſubſtituerunt Lithographi recentiores ſynonymon Nautilitæ, quoniam inter cuncta Conchylia hactenus nota, nullum exiſtit, cujus figura propius ad cornu Ammonis accedat quam Nautilus, Conchæ univalvis ſpecies notiſſima. Nautilitarum horum varietas ac inſignis diverſitas videri poteſt apud memoratum *Bayerum*, *Liſterum*, *Luidium*, *Langium* aliosque Lithographos percelebres, qui in libris antea citatis eorundem plurimas ſpecies enumeraverunt. Apud nos ſequentia duntaxat Nautilitæ ſive Cornu Ammonis ſpecimina huc usque nota ſunt:

1. *Nautilorum Nuclei lapidei læves & deformes, qui præter figuram externam cum veris nautilitis, nihil commune habent, inventi in Inſulæ Gothlandiæ montibus calcariis.*



2. *Nautilites tenuis compreſſus umbilicatus diſcoides acie in ambitu prominula, & ſubtiliſſimis ſtriis ubique nota tus-*

tus, ex eadem insula. Integri tales Nautilitæ raro occurunt. In plerisque etenim discus hicce, sive oram extimam ambiens acies tenuis, ab injuriis externis consumitur, unde aliam postmodum, & quidem talem, qualis a latere sistitur, figuram induunt, quæ cum Nautilita Anglicano *Luidii* ad N. 6 in Ichnographia Lithophyl. Brit. ejusdem depicto, apprime convenit.



3. *Cornu Ammonis frustulum profunde sulcatum, & in spina striatum, sine articulis, figura sua cornu arietinum referens, ac proinde a nonnullis Ceratoides vocatum. Ex Gothlandia.* Vera lapidis hujus imago & magnitudo, heic exprimitur, parum differens a particula illa Ammonis lapidea, quam *Boëtius de Boot* in Hist. lap. cap. 246. *Imperatus* in Hist. nat. lib. XXIV. c. 16. & *Scheuchzerus* in Lithogr. Helvet. fig. 81. depictum exhibuerunt.




4. *Cornu Ammonis magnitudinis insignis, læve; quatuor anfractuum sive spirarum, ex eadem Gothlandia.* Quamvis

vis nec ſpina nec articuli nautilitis exoticis adeo communes, in pereleganti hoc ſpecimine Gothlandico appareant, cortes tamen tenuis, teſtaceus, ſtriatus, eidem hinc inde adhæret, manifeſto indicio nautili ſpeciem fuiſſe rariſſimam, & dignam ſane, quæ icone illuſtraretur.

5. *Cornu Ammonis candidum triplici orbe ſeu convolutione ſpirali inſtructum, & lapidi calcario fuſco immerſum. Ex eadem inſula.* Nautilitæ hujus imago a latere viſitur, ubi pars nigra matricem, candida autem cornu Ammonis matrici innatum, indicat; utrumque autem lapidis hujus latus manu artificioſa poſitum eſt.



6. *Cornu Ammonis lævis veſtigium, ſaxo calcario griſeo Gothlandico nitide ac profunde impreſſum.* Ad quamnam Nautilitæ ſpeciem hoc cornu Ammonis præciſe referre debeam, definire nequeo, cum, teſte icone laterali, veſtigium ejusdem duntaxat in matrice calcaria conſpiciatur.



Alius

7. *Alius lapis calcarius Gothlandicis simile cornu Ammonis vestigium, sed profundius & nitidius expressum exhibent.* Hic Nautilita a proxime memorato parum differt, nisi quod spirarum lineamenta a sculptore, perverso plane modo heic in icone laterali, exhibita, luculentius quam in priori distinguantur.



8. *Matrix Cornu Ammonis e durissimo lapide subcinerei coloris constans, in qua insignis & juxta helicis longitudinem striati Nautilitæ elegans impressio cernitur. Ex eadem Gothlandia.* Ulteriorem lapidis hujus elegantissimi descriptionem, ob defectum iconis in aliud tempus differre cogor.

9. Ad cornu Ammonis genus referre tandem etiam debeo rarum illum & insignem lapidem, serpentis sceleton referentem ex *Scania*, quem depictum verbis sequentibus descripsit *Olaus Wormius* in musei sui lib. I. sect. 2. cap. XII. *Ex ordine*, inquit, *lapidum, qui figura serpentem in spiras convolutum referunt, insignem possidet D. Fabricius, cujus cum mihi particulam communicaverit, integrum hic delineare operæ duxi pretium. Grandis est, ambitu pedes ferme quatuor obtinens, in Diametro circumferentiæ pedem unum cum unciis quatuor. Planus in spiras convolutus, ita ut interior convolutio, quæ minima est, foramen in centro relinquat*

pollicis

13. *Cochlitæ læves umbilicati nigricantes, trium ſpirarum, ſaxo calcario duriſſimo nigro adhærentes. Ex monte Weſtrogothiæ altiſſimo Billingen vocato.*





14. *Saxum calcarium duriſſimum fuſci coloris, conchitam majorem elegantem, lævem ac umbilicatum quatuor ſpirarum continens. Ex eodem monte Billingen in Weſtrogothia.*



15. *Cochlitæ ſpoliati, trium ſpirarum, rectius cochlearum nuclei lapidei, læves, cinerei ac umbilicati, umbone parum eminente. Ex montibus calcariis inſulæ Gothlandiæ:* ubi copioſiſſime inveniuntur.



16. Coc-

16. Cochlitae minores laeves, umbilicati, cinerei.
Ex eadem Insula.



17. Cochlitae laeves ventricosi et umbilicati, candidi, saxo cinerei coloris adnati. Ex eadem Insula.





18. Neritae majores, striati, et secundum longitudinem spirarum quasi sulcati, saxo calcario candido profunde immersi. Ex eadem Insula





19. Lapis cinereus Turbinita minori conchitis ac Entrochis exiguis gravidus, inventus in agro quodam prope templum Warnifiöensi in Scania. a. Anticum Turbinita et Entrochis; b. posticum Conchitis exiguis refertum.



20. Turbinites laevis major, ad, extra ad sinistram convolutus, sex spirarum; lapidi calcario cinereo immersus. Ex Gothlandia.



21. Turbinis marini nucleus lapideus laevis, apice suo privatus. Ex Gothlandia.



22. Turbinis nucleus lapidefactus prope Stigbergam, pagum haud procul ab urbe Gothoburgo.

